

lyrato-pinnatifida, superiora angusta, basi semiamplexicaulia; pedunculi bracteati; capitula pro genere parva; involucri foliola exteriora dorso subindurato, interiora viridia pappum æquantia; ligulæ albidæ, longiusculæ (exsiccatæ ochroleucæ), exteriores dorso purpurascens; achenia omnia pappo plumosa coronata, rostro longiusculo ipso achenio subæquali.—*Hab.* Hinc inde in planitie Maroccana. Prope Sheshaoua! Mzouda! Seksaoua! et alibi.

Ex acheniorum structura ad § *Eupicris* adjungenda, facie potius ad § *Spitzelia* subsimilis et præsertim ad *P. cupuligeram*, Dur. in Expl. Alg., quæ verosimiliter est *P. pilosæ*, Del., mera varietas. Nostra species proxima est *P. campylopodæ*, Boiss., et *P. longirostræ*, Sch. Bip. Prior differt habitu erecto, foliis sinuato-dentatis indumento minus rigido.

In *P. albida* indumentum in herba tota biforme, ex pube brevi et setis rigidis apice non glochidiatis.

Crepis taraxacifolia, Thuill. DC. (sub *Barkhausia*); subsp. *C. stellata*, nob.—Differt a typo caule minus ramoso oligocephalo, foliis magis hispidis, involucri foliolis exterioribus angustioribus, valde inæqualibus magis adpressis, interioribus margine membranaceis, post anthesin concavis stellatim expansis, receptaculo minus piloso.—*Hab.* In provinciis meridionalibus Imperii Marocconi, sat frequens. Haha! Tasseremout! Urika! Seksaoua! Ait Mesan! usque 1400^m.

Forma Maroccana *C. taraxacifoliæ* habitu diverso, potiusquam caractere tecnico, distinguenda. Achenia foliolis involucri subæqualia; exteriora foliolis adhærentia.

Crepis (§ *Omaloclina*) *Hookeriana*, nob.—Rhizoma perenne, crassum, sæpius furcatum; folia omnia radicalia, hirtula, lyrato-runcinata, lobis triangularibus acutis, sæpius denticulatis; scapus 4-8 pollicaris, adscendens, indivisus, medium versus bracteola lineari instructus; involucri foliola exteriora angusta, interiori nigrescentia, apice ciliolata, lana brevi plus minusve adpersa; receptaculi foveolarum margo membranaceus lacero-ciliolatus; ligulæ flavæ dorso rubellæ; achenia elongata, non compressa, lævia, vel oculo armato tenuissime asperula; pappi nivei setæ scabriusculæ.—*Hab.* In regione superiori Atlantis Majoris, in monte Djebel Tezah! a 2400^m ad 3000^m.

Species probe distincta, affinis *C. oporinoide*, Boiss. Voy. en Esp. ii., p. 388, tab. cxvii. In hac scapus foliaceus, bifurcatus; folia pinnatifida, glabra, seu rarius parce lanata (nec hirtula), segmentis subæqualibus, lineari-lanceolatis, obtusiusculis, supremo elongato; margo foveolarum receptaculi brevissimus, vix membranaceus, sublente minutissime ciliolatus. Celeb. Boissier *C. oporinoidi* suæ pappum plumosum et achenia compressa tribuit. In speciminibus plurimis a me exploratis pappi setas simplices sublente asperulas, et achenium maturum subcylindricum, nec compressum semper observavi. *C. cæspitosa*, G. G.; Moris (sub *Barkhausia*) facie plantæ nostræ simillima differt acheniis rostratis cæterisque notis.

Hypochæris leontodontoides, nob.—Radix crassa, subverticalis, divisa, ad collum foliis emarcidis vestita; folia rosulata, obovato-spathulata obtusa, vel obverse lanceolata acuta, repando-

denticulata, subglaberrima, vel pilis crispis simplicibus vestita; scapi breves filiformes; involucrium paucifoliolatum, subregulariter imbricatum, extus pubescens, foliolis exterioribus interdum pilis paucis longioribus fuscis munitis; receptaculi paleæ hyalinæ, apice setiferæ, coloratæ, achenia (juniora) excedentes; pappus ex radiis 10 longioribus deciduo-plumosis basi parum expansis, cæteris (fere 10) dimidio brevioribus inter priores extus adjunctis; achenia nimis immatura ulterius observanda.—*Hab.* In regione superiori Atlantis Majoris. In convalle Ait Mesan! et in jugo Tagherot! a 2400^m ad 3200^m.

Species insignis nulli proxima, primo intuitu inter *Leontodontes* adscribenda.

Leontodon hispanicus, Merat; subsp. *L. Ballii*, Benth.—Differt a typo hisce notis. Indumentum biforme, ex setis rigidis apice furcatis vix uncinatis, et pube brevi araneosa; scapi breves, bracteis 1-2 linearibus instructi; involucrium minus regulariter imbricatum, foliolis interioribus paucis latiusculis; ligulæ extus rubellæ; receptaculi foveolæ margine brevissimo membranaceæ non ciliatæ; achenia apicem versus attenuata sed vix aut ne vix rostrata, subtiliter corrugato-asperula (nec muriculata) pappi setæ inæquales, longiores plumosæ breviores setaceæ.

Legi in Atlantis Majoris convalle Amsmiz! circa 1400^m.

Pro specie omnino distincta habuerim nisi tot tantosque lusus in hac grege observaverim. Ne dicam de notis specificis, characteres etiam generis nullomodo stabiles sunt. Inter specimina *L. hispanici* ad Fuente de la Higuera lecta (Bourgeau Pl. d'Espagne No. 1600) achenia exteriora incurva extus farinacea nec costato-striata pappo brevissimo fimbriifero coronata omnino ut in *Picride lyrata*, Del.

Leontodon (§ *Deloderium*) *trivialis*, nob.—Radix indurata, annua vel biennis, caules (vel potius scapos) plurimos emittens folia radicalia, lineari-oblonga vel lanceolata, profunda dentata rigida, subglaberrima vel pilis simplicibus hispida; scapi glabri 1-3-cephali, aphylli; involucrium imbricatum, demum subcylindricum; receptaculum fimbriatum; achenia in rostrum semetipsis subæquale sensim angustata; cætera ut in § *Deloderium*.—*Hab.* In ruderatis Imperii Maroccani meridionalis, ut videtur sat frequens. Legi in Prov. Shedma! prope Mtouga! et specimen vidi in ditone Mesfioua lectum a celeb. J. D. Hooker.

Planta humilis; specimina sæpissime erosa vel sub pedibus conculcata. Ab affini *Apargia annua*, Vis. Pl. Æg. et Nub., p. 38, tab. 6, cæteris prætermisissis differt achenio longe rostrato nec erostris. *Crepis hispidula*, Del. (*Leontodon Delileanus*, nob.), differt achenio apice in rostrum sibi duplo longius abrupte angustatum.

Sonchus tenerrimus, L.; var. *tuberculatus*, nob.—A typo differt insigniter acheniis rugoso-tuberculatis, brevioribus et simul majoribus, et insuper capitulis majoribus, ligulis aurantiacis, foliis minus profunde pinnatifidis, caulinis basi grosse auritis.—*Hab.* In rupibus arsis insulæ Mogador!

In copia magna speciminum *S. tenerrimi* (speciei summopere ludibundi) achenia nostris similia nunquam observavi.

Sonchus fragilis, Ball in Herb. (1852)—*S. tenerrimus*, L.; var.